

peccati esse posse, absque charitate, et absque alio motivo supernaturali, ex solo affectu alicujus naturalis virtutis, ut castitatis, vel justitiæ, qui potest a nobis esse, sicut dictum est de bono actu naturali; ergo quoad hoc procedit objectio, et discrimen non assignatur. Respondeo etiam in hoc versari eum proportionem discrimen positum, quia affectio voluntatis ad temporalia et sensibilia bona propter humanum commodum incipit a cupiditate sensibili, et fit suavis ex dilectione etiam sensibili, et ideo facile firmatur consuetudine, nam, ut dixit idem Augustinus eodem libro, cap. 24: *Quando voluntas sua cupiditate rapitur, quanto jucundius estimat quod habere vel conservare appetit, tanto tolerabilius perfert quod minus sibi est ad perferendum, quam aliud ad patiendum. Quidquid enim (inquit) illud est, ex creatura est, cujus nota voluptas est, quodammodo enim familiari contactu, atque connexu ad experientiam ejus suavitate adjacet amanti creaturæ amata creatura: et prosequitur in c. 23, dicens: Voluntas autem creatoris, de qua scriptum est: Et torrente voluptatis tuæ potabis eos, alterius generis est, etc.* Idem ergo nos dicimus de voluntate vitandi peccatum in gravi tentatione ex affectu honestatis; nam talis affectio non incipit ex sensu, nec voluntas honestatis sensu percipitur, imo ordinarie sensui repugnat, et ideo rara est talis affectio ex vi solius naturæ, et non firmatur consuetudine, nec fit suavis sine interventu auxilii gratiæ, ac proinde per se non sufficit ad vincendam gravem tentationem sine ejusdem gratiæ auxilio: et hanc rationem indicavit sæpe Augustinus, ut videre licet lib. 2 de Peccator. merit., cap. 17, et lib. 2 contra duas epist. Pelagian., capit. nono, et de Spirit. et litter., capite tertio.

40. *Solvitur deinde eadem quarta confirmatio quantum ad exemplum de hæretico.* — Denique ad exemplum de hæretico qui mortem sustinet pro aliqua veritate fidei quam suo modo credit, respondeo, etiamsi fortasse id faciat ex libertate sua, absque auxilio gratiæ, nullum inde argumentum sumi ad eum qui, cum sit catholicus, martyrium sustinet pro eadem veritate. Alioqui illo argumento probaretur non solum posse liberum arbitrium sine gratia vincere tentationem gravem contra præceptum naturale, sed etiam contra præceptum supernaturale, quod Pelagianum est. Est autem clarum discrimen, nam hæreticus ita moritur pro veritate fidei quam credit, sicut pro suo errore, et ita non suffert mortem pro veritate catholica, ut catholica est, sed ut

ab ipso creditur propter aliqua humana motiva, vel propter pertinaciam in proprio iudicio, quod præfert aliis humanis incommodis, etiam morti, propter firmatam consuetudinem, etiam pravam ex parte modi, licet ex parte materiæ contingat non esse malam. Catholicus autem, quando pro una veritate moritur, virtute totam fidem catholicam profiteatur, quia non potest id facere sine firmo affectu supernaturali ad catholicam veritatem. Et ideo hic fere versatur idem discrimen, quod proxime ex Augustino notatum est; unde addimus, si contingat hæreticum ex aliquo pio affectu ad Deum, vel ad aliquam rem divinam, mori pro aliqua veritate fidei quam credit, etiam illud non facere sine auxilio speciali gratiæ, quia et illud habere potest, licet sit hæreticus, et ille affectus concipi non potest ex sola ratione et libertate humana: et sic dixit Augustinus, lib. de Patient., cap. 27, *si hæreticus credat, qui negaverit Christum, æterno supplicio esse puniendum, et pro ista fide supplicium perferat, bene agere; ac proinde, ait, negandum non est hoc esse donum Dei.* Quale autem sit hoc donum non declarat, sed solum ait: *Intelligendum est alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est, mater nostra,* in quo significat non esse auxilium supernaturalis ordinis, licet sit supra communem cursum naturæ, et ex speciali providentia datum.

41. *Solvitur denique quantum ad argumentum Rubionis.* — Ad ultimam confirmationem, imprimis nego posse aliquam tentationem gravem, etiam contra præceptum negativum, vinci sine actu positivo voluntatis volentis non facere id ad quod tentatio inducit; tum quia probabile est non posse dari puram omissionem perfecte voluntariam sine actu positivo, quod saltem moraliter verum est; tum maxime quia tempore gravis tentationis, si voluntas nolit superari, necesse est ut aliquid faciat, vel directe se opponendo tentationi per affectum contrarium, vel recurrendo ad Deum per orationem, vel applicando intellectum ad sanctas cogitationes quæ contineant affectum, ne tentationi consentiat. Alioqui si voluntas tunc veluti dormitaret et nihil ageret, eo ipso videretur se morali periculo exponere, et consequenter peccaret. Præterquam quod videtur plane impossibile habere tunc firmum affectum resistendi et non consentiendi, et nullo modo illum explicare aut exercere. Igitur talis resistentia non fit sine auxilio generali, et ita cessat objectio. Secundo, responderi potest dando

vel permittendo antecedens, nimirum, quod voluntas possit resistere solum non agendo; quo posito, necessario sequitur ut possit resistere sine concursu generali requisito ad volendum, vel positive nolendum, quia ad non agendum, ut sic, non est necessarius concursus generalis: nam potius ad non agendum necessaria est earentia actualis concursus, cum ille nihil aliud sit quam eadem actio, ut a Deo procedens. Hoc ergo permissio, adhuc neganda est consequentia, quia auxilium speciale, necessarium ad vincendam tentationem, est antecedens seu præveniens voluntatem, ut non consentiat. Unde si voluntas non consentiat, positive volendo non operari, tunc speciale auxilium ad non consentiendum prius datur quam concursus generalis ad illam voluntatem, ideoque licet fingamus voluntatem contineri per puram suspensionem actus, adhuc necesse est ut præcedat auxilium speciale, quod absolute datur ad confortandum hominem ne consentiat, quocumque modo id facere, seu non facere possit aut debeat. Illud autem auxilium potest esse sine concursu, aut per aliam negationem, scilicet, non permittendo ut tentatio crescat, vel etiam per positivam actionem ex parte intellectus, immittendo efficacem aliquam considerationem, quæ contineat voluntatem, vel in voluntate ipsa immittendo timorem, vel quid simile quod non sit proprius actus humanus, sed quasi passio quædam immissa a Deo apta ad continendam voluntatem, quocumque modo consensum suum contineat.

## CAPUT XXV.

UTRUM HOMO, IN STATU NATURÆ INTEGRÆ, TOTAM NATURÆ LEGEM IN QUACUMQUE OCCASIONE ET OMNI TEMPORE, SINE AUXILIO GRATIÆ SERVARE, OMNIAQUE GRAVIA PECCATA VITARE POTUISSET?

1. *Questionis sensus.* — Supponimus questionem esse de lege mere naturali, et de modo implendi illam consentaneo rationi tantum naturali, ut excludamus omnem modum supernaturalem, qualis est, implere ex charitate, vel meritorie, vel alio simili: in modo autem illo, quem naturalem vocamus, includimus non solum agere bona, sed etiam bene moraliter ex circumstantiis ex eadem lege naturæ ad honestatem actus necessariis. Unde non tractamus de victoria tentationum perfecta et fructuosa ad vitam æternam, sed solum de sufficienti ad non peccandum, quam alii re-

sistentiam appellant: sic igitur tria in titulo quæstionis includimus, scilicet, facere quæ lex naturalis jubet, et non peccare contra illam longo tempore, et omnes tentationes illo tempore occurrentes vincere. Quia vero hæc videntur involvere perseverantiam, est consequenter advertendum nunc non esse sermonem de perseverantia in gratia, neque de dono ad hoc requisito, sed solum de perseverantia in honestate naturali. Et quia hæc quæstio in omnibus statibus naturæ humanæ locum habet, et in singulis habet proprias difficultates, sigillatim de illis tractatur.

2. *Negativa opinio.* — Igitur de homine in natura integra dixerunt aliqui non potuisse longo tempore vitare omnia peccata contra legem naturæ sine superaddito auxilio gratiæ. Solet pro hac sententia referri Gregorius in 2, distinct. 29, quæst. 4, artic. primo; tamen si attente legatur in fine conclusionis secundæ, respondendo ad objectionem incidentem, et conclusione 3, aperte docet contrarium. Dicit enim in illo statu non fuisse illam motionem necessariam, quam in homine lapsio posuerat in distinct. 28. Addit vero indignis gratia habituali hominem in illo statu, etiam ad servandam legem naturæ; quod potest habere sensum bonum, ut infra dicam. Refertur etiam Abulensis in capite decimo-nono Matthæi, quæst. 178; tamen, ut supra dixi, ille ambigue utitur nomine gratiæ actualis, et potius videtur in sententiam extreme contrariam inclinare, ut de homine lapsio dicam. Proprie ergo sententiam hanc videtur docere Capreolus in secunda, distinct. 29, quæst. 4, art. 1, conclus. 3 et 4, respondendo ad argumenta contraria; et Hispalensis ibid., artic. 3, notab. sexto; qui hanc gratiam in illo statu explicare videntur per specialem inspirationem et illuminationem, non per physicam motionem supra impugnata. Hos auctores imitari profitentur aliqui Moderni, sed revera solum in voce cum illis conveniunt, quia tantum requirunt congruam cogitationem, alioqui mere naturalem.

3. *Ejus fundamentum.* — Fundamentum hujus sententiæ præcipue sumitur ex Concilio Arausiac., capit. 29, dicente etiam in statu innocentie indignis hominem gratia ad perseverandum. Idem supponit Gelasius Papa, in scripto contra Pelagianam hæresim, quod habetur tom. 1 Epistol. Pontific., inter epist. 5 et 6 Gelasii, ubi sic inquit: *In ipsis primis hominibus, dum sua nimium felicitate confidunt, et tantam Dei gratiam in vacuum reci-*

*pientes, non orando, quod utique nusquam fecisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent, simpliciter implorando, incolumes constare nequiverunt.* Idem tradit Augustinus epist. 106, et libro de Corrept. et grat., cap. 11 et sequent., et lib. de Natur. et grat., cap. 48, quod etiam sentit Prosper contra Collator., cap. 18, dicens tale recepisse Adamum liberum arbitrium, *ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, posset in bonis quæ naturaliter acceperat perseverare, quia vellet*, ubi auxiliantem Dominum requirit. Imo in hoc etiam loquendi modo Faustus imitatus est Augustinum, lib. 1 de Grat. et lib. arb., cap. 1.

4. *Secundum.*—Secundo, quia alias potuisset Adam vincere tentationem serpentis suo libero arbitrio, absque auxilio gratiæ; consequens est falsum; ergo. Sequela probatur, quia præceptum illud naturale erat, id est de actu, vel potius omissione et abstinencia mere naturali. Minor colligitur ex Gelasio Papa, in loco allegato, quatenus dicit fuisse Adamo necessariam orationem ad vincendam illam tentationem, et ideo cecidisse quia, de se confisus, ad Deum non recurrit. Eandem gratiam postulat Augustinus in Enchirid., c. 106, et epist. 106, et 14 de Civit., cap. 27, et simili modo loquitur de casu Angelorum, libro 12, c. 19.

5. *Tertium.*—Tertio, quia quantumcumque esset natura integra, semper ex parte intellectus esset exposita variis cogitationibus quæ interdum poterant efficacius ad malum quam ad bonum inclinare, et consequenter poterat habere adjunctam sufficientem inconsiderationem ad peccandum. Eæ autem cogitationes non sunt in potestate hominis etiam in natura integra, quia anteverunt libertatem; unde nisi esset aliquis qui illas dirigeret, interdum in una vel alia occasione ad peccatum traherent; ergo necessaria erat gratia Dei humanas cogitationes dirigentis et gubernantis.

6. *Assertio communis affirmans.*—Nihilominus assero in integra natura potuisse hominem facile diuque servare totam legem naturæ, absque ullo lapsu illi soli contrario. Hæc est communis sententia Theologorum in 2, dist. 14, ubi Magister, c. 4, et D. Thom., q. 1, art. 4, ad 1; Bonav., art. 1, q. 2; Rich., a. 1, q. 1, et alii tum ibi, tum etiam dist. 28, præsertim Durand., quæst. 3, et Gab. Item Alens., 2 p., quæst. 90, in 2. Sumitur etiam aperte ex D. Thom., d. q. 109, art. 4 et 8, Cajet. et Conr., et aliis ejusdem locis; Soto, 1 de Nat. et

grat., c. 6; Vega, l. 12 in Trident., c. 24; et Bell., l. 1 de Grat. primi hominis.

7. *Ejus prima probatio.*—Probatur primo, quia difficultas vel impossibilitas servandi legem naturæ absque gratia quæ nunc est, ex peccato originali orta est; ergo in statu naturæ integræ non fuisset, nam si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio negationis. Agimus enim de causa adæquata. Sic enim recte inferimus secundum fidem, in statu innocentiae fuisse potestatem nunquam moriendi, quia mors per peccatum introducta est, ad Roman. 5. Antecedens autem habetur ex Concilio Arausicano, capite ultimo, ubi dicitur per peccatum fuisse ita attenuatum et inclinatum liberum arbitrium, ut neque diligere Deum sicut oportet, neque propter Deum operari possit. Maxime vero id docet Augustinus, lib. de Perfect. just., capit. 4, respons. 9, et lib. de Corrept. et grat., cap. 10, ubi ait facile fuisse homini in illo statu perseverare sine peccato; et c. 11 dicit non indignis illo adjutorio quo indiget, qui nunc clamat: *Quis me liberabit a corpore mortis hujus*; et c. 13 dicit amissam quodammodo fuisse libertatem non peccandi, quæ tunc erat: *Et ideo*, ait, *majoribus donis remansit adjucanda infirmitas*; et lib. de Bono persever., capite 7, clare constituit differentiam, quia tunc posset non peccare per liberum arbitrium, quod nunc non potest, et lib. de Natura et grat., c. 50 et 53, et lib. 14 de Civitate, c. 11, et lib. 1 Hypognotic., in eodem sensu dicit amissam esse per peccatum Adæ possibilitatem non peccandi. Similem doctrinam habent Prosper ad 5 object. Vincentian., et in libro Sentent., regul. 152; Fulgent., lib. de Incarnat. et grat., cap. 12 et 13; et Bernard., libro de Grat. et liber. arbit. Quæ quidem omnia, licet variis modis ab aliis auctoribus explicantur, revera non possunt habere alium legitimum et accommodatum sensum; quia libertas ad non peccandum in quocumque actu per se spectato, vel in quocumque determinato momento, non est amissa per peccatum, nec necessitas opposita est contracta per illud; ergo oportet intelligi de necessitate respectu totius legis, et de impotentia ad vitandum omnia peccata contra illam, vel vincendas similes tentationes absque gratia; ergo erat illa potestas ante peccatum in libero arbitrio, saltem respectu legis naturalis.

8. *Secunda probatio.*—Ratione probatur tam assertio quam hæc doctrina Patrum, quia in natura integra non deficiebat principium

per se necessarium ac sufficiens ad servandam totam legem naturæ, et deinde non erant impedimenta quæ notabiliter difficilem redderent illam observantiam absque peccato pro diuturno tempore; ergo erat simpliciter possibilis per vires liberi arbitrii. Consequentia profecto per se nota videtur, quia quod per se et ex propriis principiis est possibile, et ex impedimentis aut hostibus extrinsecis non fit nimis difficile aut grave, facile potest non solum fieri, sed etiam durare, et longo tempore frequentari; talis autem erat in illo statu observantia mandatorum naturalium, et victoria tentationum, seu peccatorum contra illa, ut in antecedente sumptum est; ergo de illatione dubitari non potest. Major item evidens est, quia tota lex naturæ observatur per actus naturalis ordinis, quorum principium per se sufficiens ex parte intellectus est naturale lumen rationis, quod in illo statu erat perfectum, et ex parte voluntatis est naturalis facultas, et libertas ejus; ergo ex hac parte non erat defectus. Minor autem probatur, quia imprimis, neque ex parte fomitis, neque ex corruptione corporis esset tunc infirmitas illa quæ nunc ingerit maximam difficultatem honeste operandi. Deinde ex parte intellectus non esset propria ignorantia, nam hæc etiam est pœna peccati. Et quamvis esse posset aliqua inconsideratio actualis, liberum tamen et facile esset homini non consentire, vel operari sine plena advertentia, quia non moveretur cum animi perturbatione, neque haberet motus involuntarios trahentes ad objectum malum non satis consideratum; ergo nihil erat intrinsecum quod magnam ingereret difficultatem. Extrinseca vero suggestio dæmonis, si persisteret in sola materia naturali, non posset magnam difficultatem inferre, cum non posset perturbare appetitum vel phantasiam absque voluntatis consensu, neque etiam considerationem intellectus impedire, si homo vellet attendere, prout facile posset. Multoque minus posset dæmon hominem positive decipere ante culpam, ut in Prolegom. 4 dictum est. Ac denique tantum posset tunc dæmon hominem per suggestionem tentare, non vero passionem aliquam excitare, aut aliam internam difficultatem ingerere.

9. *Adversariorum evasio.*—*Rejicitur quadrupliciter.*—Dicet ergo aliquis quod, licet ex objectis sensibilibus non possent tunc esse tentationes, vel difficultates graves bene operandi, nihilominus ex objectis spiritualibus esse posset gravissima tentatio superbiæ, quæ sola supera-

ret omnes quæ nunc sunt. Ita enim dixit Joannes Vincent., in relectione de Gratia Christi, q. 6, et ex hoc principio deduxit, durante statu innocentiae, plures fuisse homines damnandos quam salvandos; ergo eadem ratione inferri potest non potuisse homines in eo statu omnes similes tentationes vincere per liberum arbitrium sine auxilio gratiæ. Sed imprimis non recte id colligitur ex perfectione hominis in illo statu. Alias posset etiam inferri plures fuisse Angelos reprobos quam salvos, quia major superbiæ occasio erat in Angelis, quam in hominibus integris. Deinde sententia illa est aperte contra D. Thom., 1. p., q. 95, a. 4, ad argumenta, ubi absolute dicit fuisse in illo statu multo facilius vincere quamecumque tentationem quam in hoc. Præterea non semper major excellentia infert majorem superbiæ tentationem, si lumen sit majus, et affectus sit pacatus, ut fuisset in integritate naturæ: optimumque exemplum habemus in B. Virgine. Denique persistendo in objectis mere naturalibus, non apparet unde insurgeret tunc major superbiæ tentatio quam nunc patimur; imo neque æqualis, quia licet bona naturalia tunc essent majora, etiam auctor illorum melius cognosceretur, et facilius sine ulla perturbatione consideraretur. Hæc ergo tentatio non multum impediret tunc possibilitatem non peccandi contra legem naturalem.

10. *Alia aliorum evasio.*—*Impugnatur.*—Aliter alii respondent ad priorem rationem, recte quidem probare non fuisse futuram in natura integra necessitatem antecedentem peccandi interdum ex defectu principii sufficientis, etiam pensatis omnibus impedimentis; nihilominus tamen fuisse futuram necessitatem aliquam consequentem in aliqua occasione, in qua vidit Deus hominem non fuisse usurum sua possibilitate. Verumtamen hæc responsio satis impugnata est ex dictis in capitibus præcedentibus. Nam illa necessitas tantum consequens non excludit absolutam potestatem, de qua disputamus. Et præterea gratis asseritur debuisse hujusmodi necessitatem intervenire in omnibus hominibus illius status, ut respondendo ad tertium argumentum iterum dicam. Denique, quamvis Adam fuerit tentatus in ea occasione, in qua Deus præscivit illum consensurum, non ideo dici potest illum non valuisse resistere, sive per libertatem solam, sive per gratiam sufficienter adjuvantem. Ergo similiter licet in homine creato in integra natura sola, sine alia gratia, vel cognitione supernaturali, Deus præsciret peccatum

fuisse in tali occasione per liberum arbitrium, non inde infertur non potuisse resistere; imo potius sequitur potuisse, saltem physice: et quia de multis etiam potuit Deus præscire non fuisse peccaturos in simili occasione, recte etiam colligitur omnes potuisse etiam moraliter sine ulla propria gratia adjuvante omnia peccata legi naturali contraria vitare.

11. *Ad primum fundamentum in num. 3.* — Argumenta vero in contrarium facilem habent solutionem. Nam testimonia quæ in primo afferuntur, tractant de adiutorio necessario ad perseverandum in gratia; quod nos fatemur, etiam in illo statu, verum gratiæ adiutorium esse debuisse; quale autem futurum esset seu sufficeret, suo loco dicemus. Hic vero agimus de sola observantia præceptorum naturalium, de qua est longe dissimilis ratio. Nam perseverantia in gratia non fit sine aliquo effectu supernaturali, ad quem est necessaria gratia, sola autem observatio legis naturalis et carentia culpæ contrariæ non includit effectum supernaturalem, et ideo propriam gratiam non requirit. Si autem sermo esset de influxu Dei moventis seu concurrentis, et de beneficiis Dei ex generali ordine provenientius, sic verum est, etiam in statu integræ naturæ, perseverantiam in quocumque bono, et victoriam cujuscumque mali, Deo, ut principali auctori, esse tribuendam, ut sæpe dictum est.

12. *Ad secundum in num. 4.* — Ad secundum de tentatione Adami ejusque victoria, imprimis dico præceptum impositum Adæ, licet materialiter (ut sic dicam) et ex parte rei præceptæ fuerit de actione quadam, seu omissione naturali, seu corporali, nihilominus formaliter fuisse supernaturale, quatenus pendebat ex fide, et obedientia debita Deo, ut gubernanti naturam supernaturali modo, et ex hac parte non poterat servari sine gratia. Deinde tentatio illa non fuit primo et per se de solo esu cibi prohibiti, sed de appetitu similitudinis divinæ in scientia boni et mali; imo etiam involvebat tentationem circa fidem debitam verbis Dei et ejus comminationi, ideoque mirum non est quod ad vincendam illam tentationem fuerit necessaria gratia. Neque illud pertinet ad rem de qua tractamus, quia tentatio illa ad superiorem ordinem gratiæ, quem dæmon per illam evertere conatus est, pertinuit. Accedit quod Patres ibi citati de perseverantia in gratia loquuntur, seu ad retinendam justitiam, ut Augustinus loquitur: et similiter loquuntur de perfecta victoria, et ad vitam æternam

fructuosa, ut patet ex verbis Augustini, d. c. 27, l. 14 de Civit.: *Adam sic erat institutus, ut si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret: et infra: Meritum bonum habens in adjuta voluntate recta, malum vero in deserente Deum voluntate perversa, quia et ipsum confidere de adiutorio Dei non posset sine adiutorio Dei.*

13. *Ad tertium in num. 5.* — Ad tertium, concedimus potuisse hominem in natura integra habere cogitationem inclinantem ad peccatum contra legem naturalem, proveniente, vel ex suggestionem dæmonis, vel alterius hominis, vel ex aliquo objecto externo excitante illam. Verumtamen talis cogitatio, quantumvis esset de se intensa et fortis, posset facile per bonum usum libertatis repelli, vel ad considerationem meliorem intellectum applicando, vel per voluntatem objectum pravum sic præsentatum respuendo, quia ante aliquem pravum voluntatis consensum non poterat passio vel concupiscentia inordinata insurgere, quæ illum voluntatis liberæ usum difficilem nedum impossibilem redderet; nec refert quod talis cogitatio antevertere posset usum libertatis etiam in illo statu, quia anteverteret sine passione appetitus, et ideo semper maneret integra facultas voluntatis ad sustinendum actum et applicandum intellectum ad saniolem cogitationem, et ita semper maneret integra potestas vitandi similia peccata.

14. *Procedit proxima responsio.* — Verumtamen hoc non obstante, concedimus potuisse hominem in illo statu et occasione consentire malæ cogitationi pro sua libertate. Hinc vero non sequitur fuisse gratiam necessariam in eo statu ad tale peccatum vitandum, non solum semel, sed etiam semper in una et eadem persona, quia ille affectus erat contingens, et fortasse in paucioribus, quantum erat ex parte causarum, ideoque facile potuisset in una et eadem persona, vel etiam in multis nunquam evenire; quia semper non solum physica potestas, sed etiam moralis integra perseverabat. Probabile autem est in magna hominum multitudine nunquam fuisse defuturum aliquem qui a tali bono deficeret, et ita respectu totius multitudinis hominum probabile etiam est fuisse necessarium speciale gratiæ et providentiæ adiutorium, ut ex magna hominum multitudine nullus naturalem legem unquam violaret. Et hoc ad summum illa ratio suadet, estque valde consentaneum mutabilitati humanæ, libertati suæ commissæ, etiam cum illa integritate, quæ non excludebat contingentiam ad quam veluti

necessitate quadam illa varietas in affectibus sequi solet.

## CAPUT XXVI.

UTRUM HOMO LAPSUS POSSIT OMNIA PRÆCEPTA NATURALIA DIU SERVARE, VITANDO OMNIA PECCATA, ET TENTATIONES OMNES ILLIS CONTRARIAS, SINE SPECIALI AUXILIO GRATIÆ?

1. *Exponitur quæstio.* — Qui affirmantem partem tradant. — Sermo est de peccatis mortalibus vitandis, nam de venialibus, res est certissima, etiam cum ordinario auxilio gratiæ, non posse omnia simul vitari, ut in libris sequentibus dicemus. Præterea tractatur quæstio præcipue de adiutorio actuali Dei, quoniam illud est quod proxime dat vires ad operandum; an vero habitualis etiam gratia necessaria sit, in fine capituli dicemus. Aliqui ergo ex Scholasticis antiquis dixerunt posse liberum arbitrium vitare sine gratia omnia peccata contra legem naturæ, etiam collective sumpta. Ita loquuntur Durand., in 2, d. 28, quæst. 3 et 4, et Gabr., q. 1, et Scotus, quæst. unica, quos aliqui interpretantur de gratia habituali, ita ut non excludant necessitatem auxilii actualis. Verumtamen frustra ita excusantur, quia licet indistincte de gratia loquantur, et principaliter de habituali quæstionem proponere videantur, nihilominus in discursu necessitatem omnis gratiæ excludunt, et soli naturali libertati post deliberationem intellectus hunc effectum tribuunt; ut patet ex discursu Scoti contra sententiam D. Thomæ, et ex Gabriele, qui non solum dicit gratiam non esse necessariam, sed etiam sufficere naturales vires: et idem sentit Durandus. Rationes etiam quibus hi auctores utuntur, eo tendunt ut non sit major gratia ad collectionem necessariam, quam ad singulos actus, ut maxime in Scoto videre licet: constat autem eos non postulare gratiam actualem ad singulos actus. Eandem sententiam tenet Almainus, tractat. 1. Moral., cap. 16. Nam licet indistincte tractet de actibus bonis, in ultimis verbis loquitur de omnibus, et Scotus sequitur. Abulens. etiam in q. 178, in c. 19 Matt., dum non majorem gratiam requirit ad collectionem quam ad singulos actus, in hanc sententiam inclinat, quamvis, ut dixi, ambigue de gratia loquatur; sicut etiam D. Thom., in 2, dist. 28, quæst. 1, art. 2 et 3, ubi hanc sententiam probasse videtur.

2. *Quibus Scripturæ loci suadeant.* — Ratio. — Solent ad hanc sententiam suadendam quædam Scripturæ testimonia induci, quæ parum

momenti habent. Unum est illud ad Rom. 2: *Naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Sed jam supra dixi Paulum non dicere facere omnia, sed indefinite, seu confuse, satisque vera erit propositio si aliqua faciant. Aliud testimonium est illud 1 ad Corinth. 10: *Fidelis Deus,* etc. Sed hoc potius probat dari nobis adiutorium gratiæ, ut possimus. Aliud est illud Deut. 30: *Mandatum, quod præcipio tibi, non supra te est.* Sed quia ibi est sermo de præcepto dilectionis, dicam de illo commodius in cap. 29. Præter hæc testimonia afferuntur rationes sumptæ ex possibilitate mandatorum naturalium, et ex libertate arbitrii, et præcipue urgetur illa ratio c. 18 insinuata, quia ex discursu per singulos actus et occasiones, in quibus vitari potest peccatum, concluditur tota collectio; quæ omnia in superioribus tacta et soluta sunt, et in capite sequenti, dicendo de homine in puris naturalibus, aliquid addeamus.

3. *Quo pacto sibi contrariæ objectioni occurrant.* — Quod si contra sententiam hanc obijciantur Conciliorum decreta damnantium Pelagium, eo quod diceret posse hominem sola libertate absque auxilio gratiæ totam legem servare, et sine peccato diu vivere, responderi potest primo loqui Patres de tota lege, quæ ad vitam æternam consequendam necessario servanda est. Hæc autem lex non solum moralia præcepta legis naturæ, sed etiam fidei, spei, charitatis, et penitentiae includit, et totam illam sic intellectam dicebat Pelagius posse absque gratia servari, et omnia peccata ac tentationes omnes contra illam vitari seu superari posse; hoc ergo est quod damnant Concilia et Patres; non vero quod sola lex naturalis, quantum ad moralia secundum se spectata, possit absque gratia servari. Secundo et consequenter responderi potest Pelagium asseruisse non solum posse liberum arbitrium sua virtute vincere omnes tentationes quoad vitandum longo tempore peccatum, sed etiam quoad consequendum fructum vitæ æternæ, et hoc etiam modo posse totam legem naturæ servare non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, id est, meritorie et ex charitate, et hoc etiam est quod Patres et Concilia damnant. Dicti autem Scholastici expresse distinguunt observationem quoad substantiam tantum vel etiam quoad modum, et priorem tantum tribuunt libero arbitrio, et ita rejiciunt errorem Pelagii: eorum ergo sententia prædictis definitionibus non damnatur nec comprehenditur.